



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 2. Rectene noster dixerit Responso?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Nunquam igitur, ne semel quidem admittendus est, nec lingua lapsus vel memoria in Scriptore Sacro. Cum enim diuina litera a Deo ad nos sine missa, in Deum culpa turpitudineque mendacii transcriberetur, quod si humana fragilitatis errores diuinae veritati dicamus admistos; non potest nobis de authentica scripti fide constare, nisi quid sincere diuinum, quid hominum initio adulteratum sit, ostendatur. Hieronymus etiam nymus sane grauiter se excusat Augustino, ne officio sum mendacium defendere videatur. Ego, inquit, imo alij ante me exposuerunt causam, quam putauerant, non officiosum mendacium defendentes, ut tu scribis, sed ostendentes honestam dispensationem, ut & Apostolorum prudentiam demonstrarent, & blasphemantis Porphyrii impudentiam coercerent.

§. 3. Rationes Erasmi nullius momenti sunt. Est Christus solus veritas, nec tamen Apostolorum Scriptura mendaces, quia in illa loquitur veritas. Mentiri potuerunt & Apostoli, sed cum Spiritu sancto agentibus locuti sunt, aut scripserunt, nec fallere, nec falli potuerunt. Dissensit a Barnaba Paulus; & errare hac in re potuit alteruter; at non in dogmatum expositione, sed re externa, de Marco vel assumendo vel relinquendo. Vtrique sua fuit ratio, cui melior, ille nouit, qui corda scrutatur & renes. Paulus respuit defectorem operis Dominici; Barnabas redeuntem amplectitur. at in Scriptura tradenda ne hic, nec ille aberrauit. Quod ad librorum menda attinet, non sunt illa Spiritus, vel Apostolorum, quae ex aliis exemplaribus facile corriguntur: & ea pauca sunt, de plerisque certo constat.

VERSVS II.

Et procidentes adorauerunt eum.

QUESTIO I.

Quomodo adorauerunt?

§. 1. **Q**uia dicuntur intrasse domum, plerique putant, hospitium Iosephum interea quassisse, dilapsis qui censi fuerant. Ita Maldonatus, alijque Plures Hieronymum Epist. 17. & 18. sequuntur, & in spelunca adoratum aiunt. Res incerta est. Nam Hebraicum *בית* quamuis habitationem significat. Ita in quoque Psal. 13. 19. ubi 70. *Et quid sit in uoluntate ubi erodit habitatio.* Sic Psal. 84. 4. Nidum significat. 1. Reg. 7. 1. Sepulchrum. Exod. 12. 19. dicitur *בית דבר* domus laci.

§. 2. De errore Caluini, Piscatoris atque aliorum, qui eundem tantum adorationem Orientali more arbitrantur, supra dixi. Alter error grauior est Vbiquitarianum, qui carnem Christi nimium adorant, non ut Deo hypostatice tantum unitam; sed ut diuinis attributis dotatam, aeternam, omnipotentem, & humanitatem Deitati parem faciunt, naturarum proprietas confundentes. Hac de re ita orthodoxi sentiunt, Christum adorari eo cultu, qui vero Deo debetur; Deus enim est. Deinde cultum istum deriuari etiam quodammodo ad humanitatem; quae diuina personae hypostatice coniuncta est, non quod in eam terminetur, eamque ut obiectum habeat, sed improprie, quemadmodum vestis adorari dicitur, cum Rex adoratur, & corpus coadoratur, cum anima; quamuis in veras; similitudine aliqua dissimilitudo sit. Denique potest quispiam cogitatione atque animo solam in Christo humanam naturam spectare, eamque ut Deo gratam, omnibus creaturis maiorem, minorem cultu adorare. Quemadmodum illi qui Christum in hac vita, signati Deum esse, velut virum sanctum, & Prophe-

tam adorabant. Non enim, si quis ita adorare velit, Deum esse negat, sed cum duae sint naturae, duo intellectus, & voluntates, humanitatem hyperdulia adorant. Hoc tamen nec facile faciendum iudicio priuatum, & publice nunquam; ne illo modo adorationis diuinitatem negare videamur. Adoremus igitur Christum Deum, ut & Magos fecisse testatur S. Leo, Serm. de Epiphania. *Adorant magi in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, in hominis veritate Dominum maiestatis.* Porro munera non tantummodo orientali ritu, sed mysterio, omnium iudicio obtulerunt, Deum, hominem, regem professi.

VERSVS 12.

Et responso accepto in somnis.

QUESTIO II.

Rectene noster dixerit Responso?

§. 1. **L**eue est, non omittendum tamen, quod Beza nostrum interpretem carpit, *ἡ δὲ ὁρακλή* vertit ipse, diuinitus admoniti. Vulgata, inquit, *Responso*, non satis proprie; quia percontantibus diuini responsum datur. Erasmus, oraculo admoniti. Ego vero *ἡ δὲ ὁρακλή* religionem nullam statuo in uocibus; tamen oraculum lubens refugio, veluti idolorum superstitione contaminatum. Contemnerem ista, nisi viderem Bezam aliosque suis in commentariis solis istis se iactare. Critico igitur respondeamus. Graeco est *ἡ δὲ ὁρακλή*, hoc est, oraculo admoniti, Syrus habet *בְּחִזְיוֹן* & visum est illis in somno. Recte vero noster *Responsum* vertit *ἡ δὲ ὁρακλή*. Et si enim facile concederemus, quod Beza asserit, *Responsum non nisi percontantibus dari*; non tamen nobis reuelatum est, Magos inter gaudia, precelique de itinere Deum non percontatos. Christum esse credebant, longo itinere venerant, adorant; de reditu, omnique vitae ratione in posterum agenda instructi cupuerunt. Nec dabito eos de reditu ad Herodem ancipites fuisse. Tyrannum viderunt, turbatum, cruentum, profanum, nullum mitti ab Herode, nullum a gente Iudeorum legatum. A Iosepho de statu Republicae, & moribus Herodis edoceri potuerunt.

Pii cuiusque est tali in loco ac tempore omnia diuinae prouidentiae enixius commendare, auxilium ab ea petere. Ad haec ergo responsum acceperunt, itent per aliam viam in regionem suam. Responsum igitur est percontantibus datum. Quod si quispiam respondeat; interdum dari responsum ad ea, quae non rogabantur, sed rogari poterant; facile superciliosam censuram excutiet. Certe respondere ad tempus dicitur creditor, qui non appellatus rem dissoluit. Responsum diuini vocantur, quae rogati, vel non rogati essent. Virg. 9.

Nil me fatalia terrent

Si qua Phryges pro se tallant responsa Deorum.

Sic cum responso diuini dicuntur horrere Cassia regina. Sane tum de Romanis nihil scitanti erant Cassii.

§. 2. Iniuria etiam Erasmus reprehenditur, quod vertit *oraculum*, quasi vox ea contaminata sit. Oraculi primo quidem vetus interpres frequenter ea voce v. vox non titur, tam pro propitiatorio, quam diuino responso, est infusa. Cur autem diuina oracula non nominemus, est iunctum, etiam oracula demonum? Augustinus cap. 6. de diuinatione Daemonum ea voce utitur liberrime. Haec atque huiusmodi facultate multa Demones futura praenun-

præmittant, audiunt ut præmittunt: & cum ea prædicunt quæ inde audiunt, non fallunt neque falluntur: verissima enim sunt Angelica & prophetica oracula.

Et l. 16. de civitate Dei c. 36. Accipit etiam Isaac oraculum tale, quale aliquoties pater eius acceperat, de quo oraculo sic scriptum est.

Quod si vocem idololatriæ & aruspiciæ infamem homo pius fugiendum putavit: Multo magis & periculosius fugere oportuit: illa enim etiam gentilibus in dæmonum responsis vsurpantur, atque adeo apud veteres vix aliter.

VERSUS 13.

Cum autem recessissent, apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph.

QUESTIO I.

Quando recessit?

§. 1. **N**on continuo cum recesserunt, nam die quadragesimo in templo præsentatus est. Post purificationem profecti sunt in Nazareth Luc. 2. 39. ex quo constat gravem fuisse persecutionem; & perquisitionem quoque Nazarethum fuisse venturam: nam ex censu cognoscere potuit Iosephum eo venisse, regum quoque adoratio, & palorum, simulque quæ Symeon, & Anna Prophetissæ loquebatur, iam famam auxerant. Herodes quoque ex his omnibus cum animaduertere se à Magis illudum omnes nervos intendit. Quam diu vero in Nazareth morati sint incertum est. Hoc certum est duplici modo errare Calvinum, incogitantem, & impie. Probabile est, inquit, dominum Mariam peperisse, donec ex puerperio convalesceret, ut iter facere posset. Incogitantem, quia iam venerat Ierusalem, inde iter Nazarethum, tandem iam dies erat quadragessimus, & supra, convalescere igitur poterat, si labore parienti fuisset infirmata.

Impie vero quia partum eum dolore, & debilitate fingit, quod nemo piorum unquam dixit. Verissime dixit Soarezius noster. T. 2. in 3. p. disp. 13. sect. 2. Neminem qui de partu in partu virginem permanisse crediderunt, inueni, qui asseruerit eum dolore peperisse. Calvinus utrunque coniungere debet; dolor enim parientium ex vterii distensione, convulsioneque, oritur. Ut dolor sit corruptio virginitatis, & ea illibata nullus sit dolor: ut enim clauso ostio ingressus est ad discipulos, non læso, non comminuto ligno, ira quoque de thalamo processit ille gigas ad currendam viam, & nascendo matris virginitatem æternum consecravit. Nec lara erat illi lex quæ Gen. 3. in dolore paries filios. Quæ sine peccati collusione Christum concepit.

Concludam sententiā S. Gregorii Nysseni orat. 1. de resurrectione. Habet & Esaiam, qui gratiam hodiernam sine dolore non parum illustrat. Ab ipso enim matrem in nuptiam, sine patre peperit, carnem sine dolore puerperium, sine labe partum ante didicisti. Sic enim loquitur Propheta. Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emanuel, quæ vox significat, Nobiscum Deus. Item sine dolore partum extraxit, ipsa rei aequitas te docebit. Nam cum omnis voluptas dolorem coniunctum habeat, necesse est, ut in illa, quæ ita copulata sunt, cum vnum abest, alterum etiam absit. Itaque cum nulla concipiendi voluptas antecesserit, ne parienti quidem dolor est consensurus. Hoc autem Propheta verbis etiam comprobatur, quæ sic habent: antequam veniret dolor partus eius, effugit, & peperit masculum. Aut, quemadmodum alius interpretatur, antequam dolores sentiret, peperit.

Consulendus D. Thom. 3. p. q. 35. ar. 6. atque in eum locum Theologos, quos etiam plerique sectarum exceptis rigidioribus Calvinianis quibusdam sequitur. Porro Calvini hic error alteri errori necessarius esse visus est, ne si in partu virgineo dolorem abesse, & illa virginitatis claustra fateretur, corporum mutuum penetrationem concedere cogeretur, & imaginationes suas de Eucharistia omittere.

VERSUS 15.

Ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum.

QUESTIO I.

De quo Propheta dixit: Ex Aegypto vocavi filium meum?

§. 1. **D**e filiis Israel Propheta loqui videtur: idcirco Iudæi & gentiles, præcipue Iulianus, idcirco Christianis obiecerunt. Dicitur hæc de re Hieronymus. In hac ver- de optimo Gen. Interp. ad Pammach. ad Algas. q. 2. & ba agere in hunc locum. Verba eius tanquam basin d. sputatio- videntur. nis initio ponam. Pro eo quod nos docemus. Ex Aegypto vocavi filium meum, Lxx. translulerunt ex Aegypto vocavi filios eius, quod in Hebræo non habetur, nullique dubium est Matthæum de hoc loco sumpsisse testimonium iuxta Hebræicam veritatem. Ergo qui detrabant nostræ translationi videant scripturam, de qua Evangelista hoc testimonium sumpsit, & interpretatus est in Domino Salvatore: quando de Aegypto reductus est in terram Israel: & cum inuenire non quierim, desinant rugare frontem, adducere supercilium, crispare nares, digitis concerpere. Hunc locum in septimo volumine Iulianus Augustus, quod adversum nos, id est, Christianos evomuit, calumniatur, & dicit, quod de Israel scriptum est, Matthæus Evangelista ad Christum translulit, ut simplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet. Cui nos breuiter respondebimus: Primum Matthæum Evangelium Hebræis literis edidisse: quod non poterant legere, nisi hi qui ex Hebræis erant: ergo non propterea fecit, ut illuderet Ethnicis. Sin autem Hebræi illudere voluit, aut stultus, aut imperitus fuit. Stultus si apertum finxit mendacium, imperitus si non intellexit, de quo hæc dicerentur. Stultitiam ipsum volumen excusat, quod prudenter ordinatæque compositum est: imperitum non possumus dicere, quem ex aliis testimoniis scripturarum scientiam legis habuisse cognoscimus. Superest ut illud dicamus, quod ea quæ præcedunt in aliis iuxta veritatem & adimplerem referantur ad Christum, quod Apostolum in duobus Sina & Sion & in Sara & Agar fecisse cognovimus. Neque enim non est Sina mons, & non est Sion: non fuit Sara, & non fuit Agar: quia hæc Apostolus Paulus ad duo retulit Testamenta. Sic igitur hoc, quod scriptum est, Parvulus Israel, & dilexi eum: & ex Aegypto vocavi filium meum: dicitur quidem de populo Israel qui vocatur ex Aegypto, qui diligitur, qui eo tempore post errorum idololatriæ quasi infans & parvulus est vocatus, sed perfecte refertur ad Christum. Nam & Isaac in typo Christi fuit: quod futura mortis ligna sibi ipse portauerit: Et Iacob quia Liam dolentem oculos Rachel pulchram habuerit uxorem: in Lia qua maior erat, cecitatem intelligimus Synagoga, in Rachel pulchritudinem Ecclesiæ, & tamen qui ex parte typi fuerunt Dominus Saluatoris, non omnia, quæ fecisse narrantur, in typo cuius fecisse credendi sunt. Typus enim partem indicat, quod se totum præcedat in Typo, iam non est typus, sed historia veritas appellanda est.

§. 2. Hoc

ADAMUS QUESN. in Evangelia

In 70. alia lectio est.

Matthæus nec fallere voluit, nec imperitiā deliquit.